



Digitized by Google

Sig. 2082(25)



Digitized by Google

425

# DOCTRINA JURIS CRIMINALIS COMMUNIS DE UNIVERSITATIBUS.



**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM SCRIPSIT

**PHILIPPUS DE GUTERMANN,**

JURIS UTR. DOCTOR.

---

AUGUSTAE VINDELICORUM.  
TYPIS WILHELDI REICHEL.  
MDCCCXXXIX.

bayerische  
Staatsbibliothek  
München

Digitized by Google

## Praefatio.

**D**e universitatum delictis et poenis scripturus, superfluum forsitan quoddam conari videar, quum haec materia, ut omnes fere juris criminalis partes, ab excellentissimis juris-consultis locupletissime sit tractata. —

Sed licet sane plurimis, quae de jure criminali scripta sunt, operibus et compendiis, de materia nostra multae egregiaeque deductiones contineantur, et nuperrime de illa duae dissertationes a Sinteni\* et Heppio\*\* sint editae, quibus eadem sane quadam luce illustratur: tamen mihi non ita absoluta esse videtur, ut acta jam pro conclusis declarari possint, idque jam inde eluet, quod maxima inter excellentissimos juris criminalis doctores adhuc de hac re exstat opinionum diversitas.

Quare, praecipuerum juris criminalis doctorum sententias collaturus, diligentique recensione inquisiturus, et nonnulla, quae hucusque non satis urgebantur, illustratus, in quantum quidem vires meae patiuntur, opus plane supervacantum vix aggredi videar.

---

\* De delictis et poenis universitatum; dissertatio inauguralis Servestae 1825.

\*\* In libro ejus, qui inscriptus est: Versuche über einzelne Lehren der Strafrechtswissenschaft. er. 3.

## §. 1.

**De juris, quod vocant naturale, in  
materia nostra auctoritate.**

Plurimi juris consulti, qui de materia nostra scripserunt, triplici modo eam tractaverunt.

Primum eam contemplantur ex jure, quod vocant, naturali; deinde eam exponunt secundum generalia juris criminalis positivi principia, denique juxta leges specialiter de hac materia latas.

E recentioribus auctoribus Sintenis quoque, in dissertatione citata, hanc methodum sequens, primo e ratione philosophiae, deinde e natura criminis et poenae, denique ex jure positivo probare conatur, universitates et delinquere et puniri posse.

Quod ad primam, contemplandi thema nostrum, rationem, e jure naturali, attinet: haec fundamento haud satis solido niti, ac diligentiore inquisitionem sustinere nequire videtur.

Nam personae moralis, ergo etiam universitatis, quae est illius species, notio est *mere positiva*, legibus juris communis statuta, quam a priori, i. e. nuda reflexione, tantum abest, ut unquam consequare, ut eadem rationi stricte ac consequenter concludenti et argumentanti contradicere videatur.

Ubi ergo de universitatibus agitur: jam ipso facto in juris positivi regionibus versamur; ideoque ratiocinando ac philosophando interdicti sumus; quod jam clarius perspiciemus, si viam tractandi juris positivi studii accuratius contemplati erimus.

Quum enim jus, quod vocant naturale, — rectius dixeris philosophiam juris, — e summo quodam axiomate procedens, atque ex ejus consequentiis, secernendo et concludendo, notiones et principia deducens, sistema regularum suarum construat: juris positivi doctrina, contrariam viam ingrediens, legum positivarum vim et naturam perspicere, jurisque rationem cruere, et hoc modo a speciali ad generale progredi conatur.

Inter omnes juris communis doctores constat, nimium atque intempestive jus, quod vocant, naturale, immiscendo ac confundendo, juris positivi scientiam saepe turbatam esse: quod haud scio, an in ulla materia magis sit perspicuum, quam in nostra, ut infra planius erit demonstrandum.

A qua ratione, modo vituperata, quam dicunt philosophicam, longe discrepat altera, materiam nostram tractandi, methodus, quae, e generalibus juris criminalis *poeitici* principiis exiens, eaque ad illam referens, sola nobis viam ostendit, leges ad thema nostrum spectantes, recte interpretandi et ad communem juris rationem redigendi.

### §. 2.

### **De universitatis natione.**

Haec vero, priusquam latius exponere incipiamus: quae sit jure communi univertatis notio, erit illustrandum; non ita tamen, ut, quidquid de personis, quas vocant morales, jure *civili* contineatur, hoc loco sit tractandum, quum principia quaedam potentissima atque ad nostram materiam maxime spectantia commemorasse sufficiat.

Jamque hic reperimus, jus romanum a germanico magnopere discrepare; Romanis enim sub personae moralis notione etiam *res*, seu rerum universitates, complectenibus, — jure germanico *collegia* tantum et corpora inter universitates numerantur.

Utque personae morales, quae jure Romano statuntur, ex jurisconsultorum meditationibus et fictionibus originem cepere: sic universitates juris germanici ex rebus gestis factisque hujus populi processerunt, — „editae ex vigore huic juri insito et ad explendos vitae usus,“ — ut dicit juris germanici doctor illustrissimus.\*

Quantumvis vero personae morales juris romani ab universitatibus germanicis, si originem ambarum spectes, discrepent, et maxima diligentia in principiis de illis jure romano proditis ad has referendis atque applicandis adhibenda sit, et nunquam ommittenda fuerit; in hoc tamen utrumque jus consentire videmus, ut universitates, secundum fictionem quandam legalem, et velle, et, quod voluerint, certo modo exprimere possint, quod jam accuratius contemplemur. —

### §. 3.

#### **De libero universitatum arbitrio.**

Non desunt juris consulti,\*\* qui universitatibus jure Romano liberam voluntatem concessam esse negant, idque

\* Conf. Phillips Vorlesungen über das deutsche Privatrecht §. 36.

\*\* Conf. Julius Malblank: opuscula ad jus criminale spectantia; commentatio 1.

Martin: Lehrbuch des Strafrechtes §. 38.

Dollmann: Vorlesungen über Criminalrecht §. 37.

praeципue ex fr. 1 §. ult. D. (de acquir. et omnit. possess. 41. 2) probare tentant, ubi dicitur:

„municipes nihil per se possidere possunt, quia nisi consentire non possunt.“

Quae verba illa sic interpretantur: municipes neque simul aliquid velle, neque voluntatem exprimere posse. —

At haec interpretatio a vero legis civitatis sensu longe discrepat: qua nihil aliud continetur, quam municipes non uno eodemque temporis momento animum possidendi capere, neque omnes *simul* rem possidendam apprehendere posse.

Sed cavetur legibus hoc casu per procuratores secundum fr. 2 D. eod. tit.: ubi dicitur: „hoc jure utimur, ut et possidere, et usucapere municipes possint, idque eis et per servum et per liberam personam acquiratur.“ —

Quod confirmatur frag. un. §. 1 et 2 D. de libertis univ. (38. 3.)

At haec leges, multaeque aliae, quae ab iis, qui universitates voluntatem habere negant, laudantur, ad juris civilis subtilitatem magis, quam ad jus criminale pertinere manifestum est. —

Quum vero universitates tam Romano, quam germanico jure nonnisi auctoritate publica constitui possint, quumque, quae illis legali fictione tribuitur voluntas, a civitate ad certum quemdam finem quodam modo sit inspirata: necessario sequitur, eas hanc volendi facultatem ad illas tantum res dirigere posse, quae ad munera officiaque earum pertinent; — quorum fines, ubi qua universitas egreditur, universitatis vicem gerere desinit.\* —

\* Intra fines autem sibi propositos universitas et recta et vetite petere potest, quod infra planius erit demonstrandum. —

Neque vero ideo, quod facultas arbitrio utendi certis limitibus est coacta, ipso arbitrio universitates destitutae videntur, ut multi putant;\* quum hoc non in eo cernatur, ut quis *quaelibet* volendi et faciendi habeat facultatem, sed ut ex pluribus id, quod sibi placet, eligere, igitur, ut *omnino* velle possit; licet rerum eligendarum copia angustioribus latioribusve terminis sit circumscripta.

Nisi forte quis contendat, eum, qui illa crimina, quae nonnisi a publicis ministris seu a clericis perpetrari possunt, quum publico munere seu sacro officio non fungatur; committere nequeat: propterea libera voluntate carere.

#### §. 4.

### **De finibus, universitatum arbitrio propositis.**

Si vero jam quaeritur: quibusnam agendi facultas, qua universitates a civitate sunt instructae, finibus continetur: hoc quidem generali quadam regula statui non potest; sed quot sunt universitatum genera, tot variae voluntatis utendae copiae.

Ante omnia hic origo cuiusque universitatis cruenda, finisque, ei propositus, — quam dicunt legem fundationis, — spectandus est, — atque, quatenus delinquere possit, de unaquaque singulariter et specialiter investigari ac decidi oportet.

\* e. g. Feuerbach: Lehrbuch des peinlichen Rechtes §. 63.

Quam ob rem Rosshirt\* nobis non errare videtur, dicens, „doctrinam de delictis universitatum in jure *publico* esse fundatam, nimioque studio, generales de hac materia normas statuendi parum profici.“

### §. 5.

## **De nonnullis argumentis contra sententiam nostram e natura delictorum sumatis.**

Ex illo vero principio, quod supra memoravimus, et in quo plurimi juris criminalis doctores consentiunt, — universitates circa eum tantum finem, in quem a summo reipublicae gubernio sunt fundatae seu receptae, libera uti voluntate, — nonnulli\*\* deducere tentabant, eas delinquendi arbitrium non habere.

Ad honesta enim licitaque solum voluntatem a civitate eis datam esse docent; et tantummodo quatenus in fine sibi proposito persequendo, versentur, personas habendas esse; a quo, ubi primum aberraverint, personae fictionem ipso jure cessare. Universitates ergo *qua tales*, delinquendi facultatem non habere. —

At haec argumentatio, quamvis veritatis speciem praeseferat, duplicem tamen errorem involvere videtur.

Primum enim aperte atque evidenter secum ipsi pugnant, qui dicunt, universitates, quamquam voluntate sint exornatae, tamen non nisi recta velle posse.

\* Grundsätze des Strafrechtes pag. 355.

\*\* ut Feuerbach, loco citato, Jarke: Handbuch der Strafrechtswissenschaft §. 21.

**Quum enim voluntatis vis in eo solum consistat, ut vel honestum, vel turpe libere eligendi facultatem quis habeat: profecto voluntas, qua solum honesta, non vero etiam turpia peti possint, cujusque vis et natura in non volendo cerneretur, sana mente cogitari non potest.**

**Quae sententia, si vera esset, jam non posset dici, civitatem universitatibus liberum arbitrium inspirasse, quae jam nil aliud essent, quam machinae, vi ac potestate aliena regendae.**

**Praeterea ut universitatibus, sic et singulis civibus, leges reipublicae honestissima quaeque et rectissima pertenda proponunt; neque tamen, qui contra eas egerit, hoc ipso civis esse desinit; potestque illis, qui civitatem, quae a divino rerum humanarum rectore ad jus tuendum tribuendumque sit instituta, universitates voluntate consiliorum illicitorum nefariorumque capaci exornare posse negant: idem responderi, quod theologi iis reponere solent, qui mente capere nequeunt, animum nostrum, — „divinae particulam aurae, —“ ut ait poeta elegantissimus,\* ad mala turpiaque se inclinare posse.**

**Sed ne legibus quidem nostris ullo loco sancitum est, ut universitas, tamquam ex metamorphosi quadam, ubi leges vislaverit, existere desinat, et postea subito reviviscat.**

**Quod si veritate niteretur, sententia, contra jus clarum in thesi lata, ut recte Heppius \*\* asserit, nullo temporis decursu in rei judicatae auctoritatem transire posset, quoniam judices, ad *jus* dicendum instituti, ubi injuste judicaverint, hoc ipso momento publico munere destitue-**

\* Horat. satyr. lib. II. sat. 3. v. 79.

\*\* Loco cit.

rentur, itaque sententiae isti defectus insanabilis ex persona judicis inhaereret, quod adhuc a nullo processus civilis doctore contendebatur.

Praeterea illorum opinio, qui idcirco universitatibus delinquendi facultatem deesse contendunt, quod libero arbitrio intra fines tantum, a civitate ipsis propositos uti possint: hoc quoque refutatur, quod vel omissitudinis illis ipsis officiis, ad quae procuranda singula universitas est instituta, vel abutendis juribus eidem attributis, crimen committere potest; ut, si quod collegiura edicto a summo gubernio edito, exsequendo supersedet; sive universitas, cui jus nummos signandi est tributum, adulterinam monetam cudit, quod delictum artic. 111 C. C. C. continetur, ubi expressis verbis dicitur, illud non tantum a singularis personis, sed etiam ab universitatibus perpetrar posse.

### §, 6.

## De adversariorum argumentis ex aequitate promtis.

Non magis vera, quam quae modo impugnabatur, eorum opinio est, qui idcirco universitatem delinquere nequire docent, quod puniri non possit, quin etiam posteri, qui delicti ab antecessoribus, commissi innocentes sint, simul poena affligantur; id vero cum aequitate pugnaret.

Quam opinionem copiosissime Malblanc in opusculis suis tractavit, cujus argumentationis summa haec est:

„Ad singulas universitates non illos tantum pertinere ait, quibus modo constituitur, sed etiam eorum

posteros. Qui quum nondum sint nati, libero carent arbitrio. Quare illis dolus non potest imputari, neque delictum ab illis committi.

Igitur si cujus universitatis membra viventia delinquent: haec solum poena affligi oportet, non ipsam universitatem; quae si puniretur, etiam posteri, quin quid pecavissent, plecterentur." —

Quae opinio, quamvis sit speciosa, atque aequitatis splendore quodam circumfusa, tamen, qui eam sequuntur, universitatis notionem minus recte percepisse vindentur.

Nam universitas, quae persona, minime tamquam pro *summa* singulorum ejus membrorum modo viventium, habenda est. Haec enim non spectantur, ubi de notione universitatis agitur; neque, quod per procuratores hujus geritur, singulorum membrorum, sive summae eorum nomine et loco, sed ex mandato et potestate universitatis ipsius factum esse censendum est.

Quare si quod delictum ab illis in administrandis universitatis muneribus atque in vice ejus gerenda — committitur: non singulis membris, sed universitati ipsi imputatur.

Et si objicitur, perdurum esse, universitate punienda, etiam posteros, licet sint innocentes, poena affligi: hoc argumentum, non ex juris sed aequitatis ratione promptum, aperte in miscendis et confundendis poenae eventibus cum ipsa poena nititur.

Atque, qui eo utuntur, plus, quam intendunt, probant.

Si enim damnum ex poena delinquentis posteris ejus emergens, rationem poenae prorsus non infligendae praebere: *quemquam* fere mulctari injustum esset.

Nam etiam, si singuli cives puniuntur, evenit, ut liberi eorum cognative, licet sint innocentes, in magis minusve duram miserabilemque conditionem redigantur.

Est enim haec omnium successorum communis sors, ut non minus immeriti bene meritis virtutibusque majorum fruantur, quam calamitatum, scelera illorum sequentium participes fiant.

Neque etiam legibus, quae ab adversariis citantur, fr. 34 D. de injuri. (47. 10.) et const. 22 C. de poenis (9. 47.) doctrina nostra refellitur.

Nam locis modo laudatis non agitur de universitatibus; deinde nil aliud sancitur, quam suos tantum peccata auctores tenere, et ibi solum poenam esse debere, ubi et noxa est; — (quam tamen regulam ab imperatoribus Arcadio et Honorio tam magnifice propositam, exceptione non carere, ex famosa illa constitutione: „quisquis cum militibus“ etc.) const. 5. C. (9. 8.) cognoscere licet, in qua, ab *iisdem*, quos modo nominavimus, *imperatoribus*, promulgata, haec verba reperias: „filii paterno quidem perire deberent, suppicio; sint tamen perpetuo egentes et pauperes, talesque, quibus mors sit solatium et vita supplicium.“ —

Sed ubi universitas deliquerit, ipsa, ut sola noxia, sic etiam sola condemnatur et punitur: non etiam singula ejus membra: quibus, si quid mali ex poena processerit, non pro poena, sed pro calamitate habendum esse videtur.

## §. 7.

**De Argumentis contrariis e natura  
poenarum sumtis.**

Sed jam aliorum\* opinioni obveniendum est, qui universitatem, qua talem, etiamsi delinquendi facultas ei concedatur, tamen poena affligi posse negant.

Multis enim poenarum speciebus, ut libertatis restrictione, corporis castigatione, in illas animadverti nequire; nulla vero omnino, quin simul membra illarum, seu sola, modo viventia, seu etiam futura puniantur: ita ut poena non in universitatem ipsam, sed in ejus membra cadat. —

Quam opinionem refellere, poenarum natura accuratius illustrata difficile non est.

Quisquis enim, scelere admisso, publicum ordinem, statumque jure sancitum, (**jus objectivum**, dixeris) violavit ac turbavit: tantum de juribus sibi competentibus (**de jure subjetivo**) commisit, in quantum illud perpetravit.

Bona igitur, facultatesque, in quibus utendis, jura, ab illo possessa, versantur, exempli gratia, vita, libertas, honos, opes et reliqua, aut restringi, aut penitus adimi debent; quod magistratus, cui est munus criminum inquirendorum et puniendorum, poena irroganda exsequitur.

Unde necessario sequitur, ut, quicunque **Jurium** particeps est, etiam **poenae** capax sit.

\* Jarke: loco cit.

Mal blank: loco cit.

Klein: im alten Archiv des Criminalrechtes Band 3 Heft 3 er. 2.

**Quare etiam universitates, non est, quod puniri non possint.**

Atque illa quidem objectione, nonnullas poenarum species ab illis repeti non posse nihil probatur; quia idem etiam in singulis civibus puniendis saepè evenit.

Neque enim inopi mulcta irrogari, neque, qui capitatis damnatus est, usque ad naturalem vitae exitum in carcere detineri potest, licet utramque poenam criminibus suis commeteruerit.

Potest igitur ab universitate, juribus ejus vel admendis, vel diminuendis, — ut privilegiis detrahendis, ut mulcta ex ejus aerario praestanda, — utique poena repeti: quae in singula ejus membra non amplius cadat, quam quatenus cum illa conjuncta sunt; quod sane aequum et justum est.

Illa tamen collegia, quae nonnisi publicis juribus munieribusque exornata sunt, ut magistratus, judicia, poena afficere, licet non de jure, tamen de facto impossibile est.

### §. 8.

## **De ratione voluntatis ab universitate manifestandae.**

Jam quaerendum est, qua ratione voluntas universitatis manifestetur, quandoque igitur delictum universitati, ut ab ipsa commissum, imputari possit?

Nonnulli juris criminalis doctores, ut Quistorp,\* Meister \*\* et alii, tum demum crimen ab universitate perpetratum esse putant, quum *omnia* ejus membra in illud consenserint.

Alii, ut Sintenis, \*\*\* eos universitatis socios, qui tempore delicti commissi domi abfuerint, vel caeterorum consilio renixi sint, circa illud, tamquam de universitate egressos, ad eamque non pertinentes habendos esse docent.

Quae tamen sententiae mihi probandae non esse, atque in miscendis singulis membris cum universitate ipsa niti videntur.

Quum enim delictum in manifestanda a delinquentे voluntate consilioque capiendo consistat, quumque hoc ab universitatibus certo quodam modo et ordine, juribus praescripto, agendum sit: si, hoc servato, ab universitatis procuratoribus, contra leges aliquid actum fuerit, delictum ab universitate ipsa commissum, judicandum esse censeo.

Quare primum cujusque universitatis statuta et observantiae spectandae erunt: quibus si de modo et ordine consilii capiendi nil continetur, illae regulae, et normae adhibendae erunt, quae jure communi observandae sunt, si quid ab universitate decernendum est.

vide: fr. 19 D. ad municipalem. (50. 1.) fr. 160 D. de reg. jur. const. 3 Cod. de vend. rebus. (11. 3.)

\* Handbuch des peinlichen Rechtes §. 31.

\*\* Jus criminale §. 60.

\*\*\* Loco supra citato.

## §. 9.

### **Recensio praecipuarum juris Romani legum hue pertinentium.**

Quum jam materiam nostram ex generalibus juris criminalis principiis illustrare tentavimus: restat, ut ad speciales leges, eam tangentes, transeamus.

Jure romano (scil. Justineaneo) per paucae, huc spectantes, continetur; nisi forte quis, quod crebro sit, etiam illas leges, quibus jus civile universitatum tractatur, hic commemorandas esse censuerit.

Plurimae ac praecipuae leges de universitatibus delinquentibus disserentes, non tam de ipsis delictis universitatum, quam de actionibus inde proficiscentibus agunt, quo, licet indirecte, confirmatur, delinquendi facultatem jure Romano universitatibus tributam fuisse.

Quum enim secundum fr. 9 §. 1 D. (quod metus causa) universitas ex factis procuratorum suorum indemnitatem praestare teneatur, quum igitur, quae hi gesserunt, ab illa ipsa facta esse censeantur, necessario sequi videtur: etiam *poenam* delicti ab universitatis procuratoribus commissi ab illa ipsa esse repetendam.

Quid enim conjunctus ad insulamque, quam obligatio civilis, ex delicto profecta, et poena publica, ob id ipsum infligenda? quod locutissima ex illo summa judiciorum, quae Romani, extraordinarias cogniciones vocabant, origine et processu perspicere licet; quare enim primum quidem magistratus de indemnificatione tantum, ius dicarent, quam is, qui damnum intulit, laeso praestosq; debe-

bat: mox etiam poenas *publicas* nonnullorum facinorum statuebant, quae antea impunita manebant. —

Huc pertinet etiam frg. 4 D. (de vi. 43. 16.), secundum quam in universitatem, si quis ejus nomine vi dejectus erit, interdictum „unde vi“ redditur.

Neque obstat nostrae sententiae, ut nonnulli opinantur, fr. 15 §. 1 D. (de dolo malo. 4. 3.), quo dicitur, in municipes de dolo actionem non dari; non tamen, quod municipum corpus doli capax non sit, sed quia doli actio, quae infamia notaret, in collegium non dabatur. — frg. 2 quoque D. (quod quisque juris 2. 2.) de civili tantum obligatione, neque de collegii, sed singuli cuiusdam judicis injuria agit, qui litem suam fecit.

Memoratu dignissimae sunt const. 18 §. 2 C. (de re militari 12. 36) et const. 5 C. (de fabricens. 11. 9.), quibus, quamquam jus singulare tantum statui non possum non concedere, tamen arguitur, jam in jure Romano posterioris aevi semen quasi illud constituendae reipublicae ex corporibus collegiisque sicutum fuisse, quod postea in jure germanico magnificentissime efflorescebat.

### §. 10.

#### **De juris germanici et canonici principiis.**

Jam ab initio aetatis illius, quam historici *medium aevum* vocare solent: usque ad ejusdem exitum, plurimas tam leges, quem res gestas reperimus, quibus perspicuum sit, illius quidem aetatis sensu universitates et delicti et poenae habitas esse capaces, quod sane cum prin-

cipiis institutionibusque conveniebat; ex vigore, vitaeque et virium plenitudine prosecutis, qua Germanorum ut animi et mores, ita etiam leges et civitates abundabant.

Quare Heppius errare videtur, docens \*, aetatis illius sententiam in jure romano fontem habuisse, eamque rebus tunc evenientibus, praesertim bellis, proscriptionibus, excommunicationibus, quae universitatibus saepissime sunt irrogatae, magis esse confirmatam; quas vero equidem, e contrario, ex illa sententia, jam prius existente, originem cepisse censeo.

Juris igitur germanici fontibus, ut jam diximus, praecipua doctrinae nostrae documenta continentur, quae jam accuratius investiganda atque exponenda sunt. —

Ex primis medii, quod vocant, aevi temporibus memoranda sunt duae Authenticae Friederici II., auth. „item nulla“ Cod. const. 2 (1. 3.) et authen. „item quaecumque“ (Cod. constit. 13 (1. 3.).

Hlla communitatibus pari modo, ac personis privatis, interdicitur, ne ecclesiis exactiones imponant, aut earum bona invadant; et eadem utrisque poena statuitur.

Altera vero laudatarum authenticarum expressis verbis dicitur:

„Item, quaecumque communitas in excommunicatione propter libertatem ecclesiae fractam perseveraverit: ipso jure banno imperiali subjiciat,“ et reliqua. —

Hae leges clarius atque liquidius doctrinam nostram confirmant, quam ut interpretatione egeant.

Quod sentientes adversarii nostrae sententiae deducere studebant, authenticis laudatis **Jus singulare** contineri.

\* loco supra laudato.

**Quomodo vero dici possit, legibus tam generaliter conceptis non regulam, sed exceptionem statui, difficile est cognitu.**

---

**EIAM JURE CANONICO GERMANORUM DE UNIVERSITATIBUS DELINQUENTIBUS PRINCIPIA, SUPRA EXPOSITA, RECEPITA ESSE REPERIMUS:**

Praecipue hic laudandum est capitalum 4 in 6to (3. 20.), ubi Bonifacius, pontifex Maximus hujus neminis octavus, edicit: „ut“ si universitas vel collegium contra fecerit, in interdicti sententias ipso facto incurrat.” —

Hac vero poena non illa tantum universitatis membra, quae tempore delicti commissi vivebant, affligebantur, sed etiam liberi eorum postea nati, ergo universitas ipsa, qua talis.

Confer: cap. 19 in 6to de sentent. excommunicat. (5. 11.) cap. 24 eodem.

Nec desunt enim exempla, ex quibus apparet, collegia et ipsas civitates per plures annos interdicti calamitate contristatas esse.

Non obstat, ut nonnulli putant, sententiae nostrae cap. 76 in 6to de regulis juris; ubi dicitur: „delictum personae non debet, in detrimentum ecclesiae redundare.” — Nam hoc loco de universitatibus nullibi agitur, sed de singulis personis. —

Idem monendum est de cap. 40 Feudor. II.

EIAM CAPITULO 5 IN 6TO (de sentent. excommunicat.), quo adversarii exultante quadam securitate nituntur, universitatem delinquere non posse non probatur.

Poenam enim *excommunicationis* tantum non universitati, sed singulis, quos capabiles esse constituerit, infligendam esse pontifex maximus, decernit, volens periculum animarum vitare.

At hoc quoque loco non de universitatis, sed singularium, in universitate aliqua degentium delicto agitur; deinde ex poenae illius natura et animarum periculi ratione exceptio statuitur.

Caeterum hoc decretum, quod est ab Innocentio IV. anno 1245 editum, lege illa recentiore, quam a Bonifacio VIII. anno 1298 promulgatam esse, supra memoravimus, derogatum esse liquet.

Non minus clare atque distincte sententia nostra posterorum Germaniae imperatorum constitutionibus munita est.

Sic lege illa Caroli IV celeberima, quae vocatur „auræ bullæ“, cap. 15 §. 2 sancitum est:

„universitatem in legem nostram committentem, centum librarium auri, nec non ammissionis privilegiorum et libertatum poenas incurrere decernimus.“ —

Quæ verba liquidiora sunt, quam ut interpretatione opus sit. —

In edicto suo saluberrimo, cui est nomen „Landfrieden“, Maximilianus I. inter caeteros imperii status etiam civitates commemorat, eisque, qua talibus, ergo qua universitatibus, poenas minatur.

Idem plurimis recentioribus imperii constitutionibus, et novissime capitulatione electoralí Francisci secundi, postremi Germaniae imperatoris, de anno 1792 artic. 8

**§. 13 confirmatur; ubi statuitur, communitates jure portorium exigendi, ubi eo abusae fuerint, privatum iri.** —

Nec minor copia existit poenarum, in universitates re vera exercitarum, et quidem secundum sententias a summo imperii tribunal, curia camerale, latae.

Adversarii ipsi hujus modi exempla proferunt, ut calamitatem a Friederico I. Mediolano illatam; ut tristem oppidi Donauwoerthii sortem, quod ob turbatam pacem, religionis causa sancitam, ex sententia summi imperialis judicii, libertate statuque immediato privatum, ac Bavarii ducis potestati subjectum est; — et alia multa: quae in Malblanckii opusculo, supra laudato, reperias enumerata.

At haec exempla non pro *sententiis* poenas *de jure* irrogantibus, sed pro *consiliis ex politiae* rationibus capitibus habenda esse, idem Malblanc, Grollmann, Jarke et alii contendunt. —

Cujus opinionis probationem vero jam quidem nondum fecere, neque ex juris imperique germanici historia docuerunt, summis imperii tribunalibus competuisse, consilia ex *politiae* rationibus capere et exsequi. confer: Hepp: loco cit.

De jure ergo *communi* vix dubitari potest, quin universitates, qua tales, et delicti et poenae capaces sint.

## §. 11.

**Nova legislatione, quid statuendum sit,  
quaeritur.**

Jam vero aliud agitur, si quaeritur, an haec principia, ubi non leges poenales *jam latae* interpretandae, sed novae ferendae sunt, omnino probanda recipiendaque sint? Quod priusquam dissertationis nostrae finem facimus, paucis verbis tractabimus.

Atque hoc quidem nomine sane et politiae criminalis et aequitatis rationibus, jam supra expositis, magis accommodata, strictique juris principiis praferenda esse videntur, quae jure poenali bavarico (volum. primo artic. 49) statuuntur.

Quamquam enim in annotationibus (volum. I. pag. 161) principia juris communis a nobis defensa probantur, et expressis verbis asseritur, universitates circa res ab ipsis exsequendas doli capaces esse: tamen legislator, si universitas deliquerit, non hanc ipsam, sed singulos delicti auctores puniendos esse jubet, exceptis tamen illis casibus, quibus specialibus edictis praescriptum est.

Eadem fere, quae jure bavarico, etiam *austriaco* statuuntur (tom. I §. 538), de quo illa communitas, in qua, tumultu vel seditione orta, judicii militaris necessitas obveniebat, expensas ejus ferre tenetur, salvo regressu contra eos, qui ordinis publici turbati auctores extiterunt. —

*Jure porussico* (tom. II. tit. 6 §. 156; tom. I. tit. 6 §. 5, tom. II. tit. 6 §. 151 et 143, et 189 — 91) prae-

scribitur, corporationes facta et pacta procuratorum suorum praestare debere, quatenus ad exsequendum mandatum, eis injunctum, necessaria sunt.

*Sed et regni gubernio competit, communitates, ubi primum finem ipsis proposiū, amplius non valent explere, dissolvere, vel reformare. — Universitatis Praesidum est, cavere, ne quid in concionibus contra salutem publicam agatur seu decernatur. — conf.: Jarke, loco cit. in annet; ubi de adhibendis juris porruſſici principiis nonnulla disseruntur.*

Pag.	
3	
5	
7	
"	
8	
"	
10	
11	
12	
13	
16	
17	
19	
22	

## **Errata.**

---

Pag.	lin.	errata	corrige
3	18	supervacantum	supervacaneum
5	22	natione	notione
7	5	illa	illi
„	18	hae	has
„	„	multaeque	multasque
„	„	aliae	alias
8	20	cruenda	eruenda
10	23	vislaverit	violaverit
11	15	perpetrar	perpetrari
12	12	quae	qua
13	2	licit	licet
16	13	mannifestanda	manifestanda
17	7	Justineaneo	Justinianeo
19	15	Friederici	Friderici
22	7	Friederici	Friderici

---





